



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

134. An, & qualiter præsentatus legitimè possit renunciare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



*Quaestio 134. An, & qualiter presentatus legitime renunciare seu resignare possit?*

**R**espondeo: posse presentatum ad beneficium juris patronatus, antequam instituat ab habente instituere, renunciare presentationi in manibus patronorum, etiam si stetit per annum; quia juri ad rem, quale tantum acquiritur per presentationem, etiam a superiore acceptatam ad beneficium, necesse non est renunciare in manibus superiorum, *Corr. l. 5. c. 1. n. 4. citans Lamb. l. 3. d. 5. q. 3.* ubi etiam subdat, idem esse, etiam si Episcopus jam admisisset presentationem. Quin & potest idem presentatus non solum renunciare in manibus patronorum, sed & in manibus cujuscunque simplicis Notarii; quo casu patroni habebunt integrum tempus ad presentandum; quia per eos non stetit, quod minus presentatio sit consecuta effectum. *Corrad. ibid.*

## PARAGRAPHVS II.

De tempore, quo vel intra quod fieri debet presentatio.

*Quaestio 135. Intra quod tempus fieri debeat presentatio?*

**1.** Respondeo: patrono laico conceduntur 4<sup>o</sup> menses, Ecclesiastico 6. c. quoniam, c. cum propter. c. cum re. b. r. Patronatus vero mixto ex laicis & Ecclesiasticis, communis sententia tenet, concessum esse semestrem; tamen si laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent (saltem dum mixtura aequalis est; dum enim mixtura inaequalis est, attendendam praeponderantiam, v. g. si plures sint laici, concessum tantum esse quadrimestre tenent *Lott. l. 2. q. 10. n. 61. Gonz. & c. apud Card. de Luca. de jurep. d. 64. n. 4.*) quia ratione communionis privilegium concessum Ecclesiasticis communicatur laicis. *Less. l. 2. c. 34. n. 26. Bassa. loc. cit. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 12. n. 168.* quam sententiam etsi communem fateatur *Castrop. cit. tr. l. 3. d. 2. p. 5. n. 2.* citatque pro ea *Abb. in c. cum re. Selv. p. 3. q. 11. n. 18. Garc. p. 5. c. 9. n. 210. Ricc. in pr. resol. 458. Barb. p. 3. de pot. Ep. alleg. 72. n. 131. Valq. opus de benef. c. 2. §. 1. du. 3.* Ipse tamen probabilius censet, saltem dum laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent; patronatus mixto non concedi nisi quadrimestre. Concedi quoque adhuc semestrem patronatus mixto, etiam si laici essent plures, quam Ecclesiastici, censet *Card. de Luca loc. cit. n. 4. Vivian. in pr. juris p. 67. c. 1. n. 9. Paris. de resig. l. 2. q. 4. n. 50. apud Barb. loc. cit. n. 169.* quam vis ipse id neget de potest. Ep. p. 3. alleg. 60. n. 17. citetque pro se *Pereiram. & c.*

**2.** Porro cum rege non curari de tempore & termino ad presentandum, tam in Episcopatus, quam aliis ex *Cabedo de patronatibus regia corona. c. 28. n. 5.* ait *Garc. p. 10. c. 2. n. 34. in fine.* *Card. de Luca loc. cit. n. 13.* ait sic usu receptum esse. Idem de summis principibus esse ait *Castrop. loc. cit. n. 5.* rationem hujus hanc dat; quod in regibus & summis principibus praesumatur semper impedimentum ob plura, quibus implicantur negotia, secus ac accidit in aliis patronis, ubi dictum impedimentum; quia non praesumitur, probari debet.

**3.** Denique dicta de tempore concessio ad presentandum intelligenda tantum esse quoad beneficia simplicia, & secus esse de curatis & parochialibus, siquidem patronos, sive Laici sive Ecclesiastici, sive

saeculares sive regulares sint, habentes jus presentandi ad parochias patronatas teneri intra 20. dies a die veritabilis notitiae vacationis capellanus presentare juxta constitutionem Pii V. (quae incipit: *In conferendis beneficiis*, habeturque apud *Quarantam in Summar. Bullarii. V. beneficior. paroch. collatio;* & in qua prohibetur expressè Ordinariis, ne tempus decem dierum eidem Ordinariis & patronis à Trid. ad nominandum idoneos ad Ecclesiam regendam coram deputatis examinadoribus praefixum, ultra alios 10. dies prorogare praesumant, ac presentati, examinati & approbati debent intra duos menses à die presentationis, & habiti examinis institui, aliter beneficium devolvi ad Papam) habet *Balthus* iidem ferè verbis. *To. 2. v. beneficium §. 5. n. 5.* de hoc apud alios non invenio

*Quaestio 136. Num sufficiat patronum intra tempus sibi datum ad presentandum presentasse à se delectum Ordinario ut examine- tur, dum collatio seu institutio facienda est per inferiorem?*

**R**espondeo negativè: sed debet eundem actualiter intra dictum tempus presentasse coram illo, qui facturus est collationem seu institutionem. *Garc. p. 10. c. 3. n. 6.* testans sic resolutum in *Mediolan. juris patr. 22. Maii. 1595.*

*Quaestio 137. An, & à quo concessum à jure tempus patronis ad presentandum abbreviari aut prorogari possit?*

**1.** Respondeo primo: patronus, sive is Laicus, sive Ecclesiasticus fuerit, potest cum consensu Episcopi in limine fundationis dictum tempus tam prorogare quam abbreviare, v. g. dum est Ecclesiasticus, statueret, ut presentatio à suis successoribus patronis Ecclesiasticis debeat fieri ante semestrem, quin & praefigere presentationi faciendam unicum solum mensem, ut *Marius Antonia. variat. resol. l. 1. resol. 112. casu 15. vers. 5.* Similiter ut possit fieri post elapsum jam semestrem. Et dum patronus est laicus, statueret, ut debeat fieri presentatio ante, vel ut possit fieri etiam post quadrimestre; potest enim, ut saepe dictum, fundator apponere modum vel conditionem non solum citra vel praeter, sed etiam contra jus commune, adeoque tenor fundationis quod ad dictum tempus attendendus & servandus. *Card. de Luca loc. cit. n. 14.* citans *Vivian. l. 7. c. 1. n. 16. Corr. l. 4. c. n. 2. 61. & 62.* ubi etiam addit ex *Mario. Anton. loc. cit.* posse tamen tunc postmodum tempus à fundatore praefixum prolongari ab Episcopo, uti & ab eodem tempus à jure concessum abbreviari; cum contrariorum eadem sit disciplina. Verum cum in primo ageretur hac ratione contra voluntatem fundatoris, in secundo vero contra jus commune, permittens totum illud tempus patrono, non video quo modo hoc possit Episcopus; nisi forte dicatur; quod ait *Corrad. loc. cit. n. 66.* posse judicem ob causam terminum à jure statutum abbreviare & prorogare, ut doctores in *l. 2. de re judic. de cetero*

**2.** Respondeo secundò: potest Ordinarius (idem videtur de inferiore Episcopo habente instituire, prorogare quadrimestre illud & semestrem etiam ad aliud semestrem; cum prorogatio ista in solius habentis instituire cedat praedictum, utpote in cuius favorem determinatio illa temporis à jure facta est, cui favori ipse cedere potest, cum uniusquisque rei